



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Vita Et Epistolae Vrbani Papae III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

6 V R B A N I P A P Æ III. V I T A.

exhibeas, vt te in tremendo iudicio tua conscientia non accuset, & eius qui non fallitur districti Iudicis interrogatio non condemnet.

Exstat vnum decretum Lucii aduersus haereticos, cap. Ad abolendam, extr. de haereticis.

ANNO
CHRISTI
1185.

VITA ET EPISTOLÆ

V R B A N I P A P Æ III.

Urbanus quando e-
lectus?

Ierusalē ca-
pitur a Sol-
dano.

Obitus Lu-
cii.

Redargui-
tur Vrper-
gensis.

VR B A N V S III. Mediolani natus, ante Lambertus nominatus, ex Mediolanensi archiepiscopo, e genere Cribellorum, statim post Lucium septimo Kalendas Decembris defunctum, miro omnium consensu electus est in pontificem anno Domini 1185. tempore Friderici imperatoris, quem ob iteratam honorum & iurium ecclesiæ inuasionem iterum excommunicasset, nisi morte præuentus fuisset.

Omne suum studium ad reconciliandos Christianorum animos, qui in Syria bellis impliciti erant, conuertit. Verum cum in eiusmodi procuracyibus operam ludaret, & Christiani principes odiis & dissensionibus intrarentur, Soldanus pluribus locis potitus etiam Hierosolymam suo imperio adiecit iv. Kalendas Octobris, anno postquam a Godefredo recuperata fuerat octogesimo quarto. Ad hanc crucem dominicam ludibrio affectam, regem Hierosolymitanum captum, & aduersariorum copias versus Antiochiam directas esse intelligens, dolore percitus in morbum incidit, ex quo Ferrariae mortuus est XIII. Kalendas Novembris anno Domini 1187. cum sedisset annum vnum menses nouem & dies xxv. Ita Rogerus de obitu optimi pontificis, verius & melius sentiens quam schismaticorum fautor Vrpergensis; qui dum Lucii papæ mortem retulisset, hanc suo more scribit: Tunc cardinales qui cum ipso erant, de reditu suo plurimum sunt angustiati; timebant enim ab imperatore aliquam violentiam sibi inferri super electione Romani pontificis. Sane Mediolanensis archiepiscopus ipsos secure deduxit usque Rauennam, quem & ipsi in papam elegerunt, dictusque est Urbanus III. quem multi Turbanum voca-

V R B A N I P A P Æ III. E P I S T O L Æ. 7

uerunt; eo quod, cum esset Mediolanensis natione, in odium imperatoris volebat turbare ecclesiam quæ iam paulisper quietem acceperat; sed nutu Dei percutitus interiit. Sedit annum vnum, menses decem, dies viginti quinque. *Hæc Vrſpergenſis.*

Huius temporibus, anno nimirum Christi 1186. Rogierii regis Siciliæ filia (quam monialem fuisse fabulosum esse probat Baronius) Henrico V I. regi Germaniæ matrimonio iuncta fuit. *Viterbiensis.*

Commentum de monachatu eius fortasse inde recogitatum est, quod in monasterio afferuata fuerit, vt, si regibus mascula proles defuisset, ipsa cum dote regni nubere potuisset.

E P I S T O L A I.

V R B A N I P A P Æ III.

A D O M N E S E P I S C O P O S.

De sui electione.

Vrbanus episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopis, & episcopis, & dilectis filiis abbatibus, prioribus, & ceteris ecclesiistarum prælatis, ad quos literæ peruenient, salutem & apostolicam benedictionem.

CÆLESTIS altitudo consilii firmam retinens in sua dispositione censuram, sacrosanctam Romanam ecclesiam, ad cuius regimen sumus licet insufficientes assumpti, supra petram fidei soliditate fundauit; illud ei tribuens in apostolica confessionis fortitudine firmamentum, cui nec procella turbinis, nec præualere possit spiritus tempestatis. Vnde ipsa vniuersalis mater ecclesia usque ad consummationem sæculi manentem secum retinens Saluatorem, ita, iuxta canticum Salomonis, quem dilexit amplectitur, vt pro nulla rerum varietate vel temporum ab unitate suæ fidei vel pietatis proposito separetur. Licet enim vel crebra decedentium mutatione pastorum in varia discrimina frequenter inciderit, vel per mundanæ malignitatis incursum persecutiones innumeras pertulerit & labores; nunquam tamen eam gratia diuina deseruit, quo minus robur eius in qualibet tentatione perficeret, & inde obtineret spei sua gaudium,

vnde suscepereat fidei firmamentum. Sic igitur ante paucos dies faciente cum ea Domino signum in bonum, quamuis ipsam de transitu pii patris Lucii non modicus dolor tristitiaque turbauit, statum tamen eius in vnitate Spiritus & vinculo pacis diuina prouidentia conseruauit, ut post vespertinos fletus latitia matutina succederet, & ipsa velut columba pulcerrima suis latificata gemitibus sine ruga prorsus & macula candoris sui pulcritudinem retineret. Defuncto siquidem piæ recordationis patre ac prædecessore nostro domino papa Lucio, & reuerendissimo eius corpore honorifice tumulato, habitus est a fratribus de successoris electione tractatus; in quo tanta fuit vnitas omnium, tantaque adiuicem concordia singulorum, ut ille intelligatur operatus in eis, in cuius manu corda sunt omnium, & per quem adunatur diuersitas animorum. Ceterum cum plures essent in ecclesia Dei viri venerabiles & prudentes, in quos eorum vota concurrere consultius, ut credimus, & dignius potuissent, ad insufficientiam nostram oculos intenderunt: & factum est, sicut Domino placuit, ut nos, quibus ad dignitatis tantæ fastigium nec vires nec merita suffragantur, in patrem sibi elegerunt & pastorem. Nos autem licet nobis sciæ propriæ infirmitatis essemus, ita ut crederemus eorum proposito non immerito resistendum; ne tamen ex dilatione negotii vel pertinacia relutandi aliquod in ecclesia periculum proueniret, consensimus, licet iniuiti, iniuncti oneris subire laborem, ab eo sperantes dirigi gressus nostros, qui beato Petro in fluctibus nauiganti & fiduciam præstiterit ut in mare descenderet, & potenter occurrit ut dubitans non periret. Nunc igitur in eo loco & officio constituti, in quo valde indigemus omnium fidelium suffragiis adiuuari, ad vos tamquam ad speciales ecclesiæ Romanæ filios cum fiducia & securitate recurrimus, vosque benedictionis apostolicæ præuenientes alloquio, literis familiaribus admonemus, rogamus attentius, & exhortamur in Domino, quatenus transitum supradicti patris & domini nostri Lucii deuotis orationum suffragiis prosequentes, fidem & deuotionem, quæ nobis pro reuerentia beatorum Petri & Pauli apostolorum & apostolicæ sedis communiter debetur ab omnibus, vos spe-

specialiter impendatis, ita quod ex hoc & a Deo præmium consequi, & maiorem semper gratiam valeatis in oculis nostris & totius ecclesiæ promereri. Datum Veronæ secundo Idus Ianuarii.

EPISTOLA II.

VRBANI PAPÆ III.

AD VVILIELMVM REGEM SCOTIÆ.

In causa Hugonis sancti Andreæ & Ioannis Dunkeldensis
episcoporum.

Vrbanus episcopus seruus seruorum Dei Vvilielmo illustri

Scotorum regi salutem & apostolicam

benedictionem.

CVM ex iniuncto nobis a Deo administrationis officio
ad vniuersas ecclesias proximas nobis & longe posita-
tas aciem nostræ teneamus considerationis extendere, &,
si qua in eis vel ministris earum irrationaliter attenta-
ta nouerimus, ad factum congruum reuocare, non de-
bent ex eo sacerduli principes commoueri, si quando ad
correctionem eorum quæ perperam facta fuerint ma-
nus nostras duxerimus extendendas; cum & ipsi secun-
dum sibi traditam potestatem auxilio nobis in his esse de-
beant, & cum necesse fuerit, aliquorum pertinacia exi-
gente, contumacium nequitia fortius obuiare. Regia si-
quidem excellentia non ignorat, quam grauis intervenie-
rables fratres nostros Ioannem Dunkeldensem & Hugo-
nem sancti Andreæ episcopos fuerit exorta dissensio. Et
licet magnos vtraque pars labores subierit & expensas, &
tempore felicis memorie Lucii papæ prædecessoris nostri
apud sedem apostolicam diutius litigauerint, negotium
tamen non potuit finem habere. Vnde cum idem episco-
pi nuper ad nostram præsentiam accessissent, & conten-
dissent super hoc aliquamdiu in auditorio nostro, de con-
silio fratrum nostrorum prædicto Dunkeldensi episcopo
agendi licentiam super episcopatum sancti Andreæ tri-
buimus contra illum, & eidem sancti Andreæ episcopo ad
propria reuertendi ad nostram præsentiam sufficienter
instructo in constituto sibi termino reddituro, ita quod si

Conc. Tom. 28.

B

tunc non venerint venerabilis frater noster Iocelinus Glas-
scuensis episcopus, & dilecti filii de Melros & de Neubotle
& de Dunfermelin abbates, eum extunc ab officio epi-
scopali suspendant, &, si postmodum contumax fuerit, vin-
culo excommunicationis adstringant, nec relaxent sen-
tentiam, donec nostro se conspectui repræsentet. Nolumus enim ut negotio ipso diutius in suspenso manente,
præscripta sancti Andreæ ecclesia graue rerum suarum de-
trimentum incurrat, sed potius, cognita veritate, per nos
finem congruum auxiliante Domino fortioratur. Præcipimus
etiam præfatis Glascuensi & collegis suis, quod dilectos
filios nostros Aiulfum decanum de Lodoneio, & Odo-
nem senescallum, & Rogerum de Fedic, & alios clericos
& amicos præfati Dunkeldensis episcopi, a qualibet mole-
stia, nostra freti auctoritate, defendant; & possessiones
vel alia bona eorum, seu redditus ipsius episcopi, non
permittant a quoquam inuadi. Si qui vero contra ipsorum
prohibitionem super his venire præsumperint, censura
eos canonica, nulla appellatione obstante, compescant.
Ut igitur quæ mandamus valeant sine difficultate quali-
bet adimpleri, monemus regiam excellentiam, & horta-
mur in Domino, atque in remissionem peccatorum in-
iungimus, quatenus pro amore iustitiae, & reuerentia bea-
ti Petri, & nostra, in negotio illo iuxta mandati nostri te-
norem procedi permittas; & prædictos decanum, sene-
scallum, & Rogerum de Fedic, atque alios consanguineos
& amicos prædicti Dunkeldensis episcopi, & epi-
scopatum, & alios redditus eius, regia protectione defen-
das, & nec tu ipse illos in aliquo aggraues, nec finas ab a-
liis aggrauari; ita quod causa ipsa valeat sine impedimento
terminari, & regia magnificentia de iustitiae opere apud
Deum præmium indeficiens & nomen bonum apud ho-
mines consequatur. Noueritis autem memoratis episco-
pis in virtute obedientiae nos iniunxisse, vt nec ab ecclæ-
siis, nec a clericis sibi subditis, accipiant aliquid expensa-
rum intuitu, quas in prosecutione memorati negotii sunt
facturi, sed de propriis solummodo redditibus sibi pro-
curent necessaria prouidere. Nolumus enim ut facto i-
psorum ecclesiarum, vel personæ alia regni tui, debeat incur-
rere detrimentum. Regiam insuper excellentiam volu-

EPISTOLÆ.

II

mus non latere, quod supradictus Dunkeldensis ita honeste suum est negotium prosecutus, & honori regio detulit, quod nihil omnino proposuit, quod in derogationem regii nominis valeat redundare, vel quo tua serenitas aduersus eum debeat commoueri. Vnde si quid ab æmulis eius in contrarium fuerit celsitudini tuae suggestum, talium verbis aurem regiam non apponas. Datum Verona secundo Kalendas Augosti.

EPISTOLA III.

VRBANI PAPÆ III.

AD IOCELINVM GLASCVENSEM EPISCOPVM,
ET ABBATES.

Eiusdem argumenti.

Vrbanus episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Jocelino Glascuensi episcopo, & dilectis filiis de Melros & de Newbottle & de Dunfermelyn abbatibus, salutem & apostolicam benedictionem.

CVM ex iniuncto nobis a Deo administrationis officio ad vniuersas ecclesias proximas nobis & longe positas aciem nostræ considerationis teneamur extendere, &c. Eadem fere cum superiori. Extat apud Rogerum de Houeden annalium parte posteriori anno MCLXXXVI. sub Henrico II.

EPISTOLA IV.

VRBANI PAPÆ III.

AD BALDVINVM EPISCOPVM CANTVARIENSEM.

De ecclesia in honorem sanctorum Stephani & Thomæ construenda.

PRÆSENTIVM tibi auctoritate mandamus, vt liceat tibi ecclesiam in honorem beatorum martyrum Stephani & Thomæ construere, & de idoneis eam ornare personis, quibus beneficia, quæ ad eorum sustentationem constitueris, canonice debeas assignare. Item fraternitati tuæ mandamus, vt quarta parte oblationum, quæ ad reliquias beati Thomæ martyris offeruntur, monachorum vñibus concessa, quarta fabricis ecclesiæ deputata, quarta pauperibus erogata, quartam portionem liceat tibi in alios ysus bonos protuæ voluntatis arbitrio erogare.

Concil. Tom. 28.

B ij